...h. De dignitate histo-
...rio. Elbingae 1651.

JOACHIMI PASTORII
DE DIGNITATE HISTORIÆ ORATIO

cum honorarium Historiæ docendæ munus aggrederetur,

habita

ELBINGÆ

ANNO CHRISTI SERVATORIS M. DC. LI.



Typis ACHATI CORELLI.

MAGNIFICO

BURGGRABIO

NOBILISS: ET AMPLISSIMIS

PRÆCOSS: ET COSS:
REGIÆ CIVITATIS
ELBINGENSIS

Dominis Patronis & Fautoribus ſuis
Obſervantiæ & ſtudii teſtandi
causâ

Lubens meritòq;

D. D. D.



JOACH: PASTORIUS D.
Med. & Hiſtor: Regius, Phyſicus Elbingenſ. & Hiſtoriar. ibid.
Profeſſor honorarius.



MAGNIFICE BURGGRABIE, NOBILISSIMI PRÆCONSVLES, AMPLISSIMI CONSULES,

Rerum ſacrarum, Legum, Phœbi & Muſarum Antiſtites, Cultores, Alumni,

Nunc Auditores mihi reverentiâ, honore, amore dignisſimi.



VT auſpicatò fiat, qvod agere ordimur, primò omnium oculos animosq; ad eum convertimus, qvi meritò actionum noſtrarum omnium principium & finis eſt. Jubet hoc pietas, jubet prudentia, nihil aggredi, niſi impetratâ pace & clementiâ invocatâ ejus, ſine qvo improſperè cedet, & nequiter eveniet, qvicquid cæptaverimus. Is ô gratiâ ſuâ adesſe his auſpiciis noſtris, is in nominis ſui decus, in

fidelium

fidelium ſuorum ſolatium, in artium bonarum ornamentum, in commodum juventutis, in Vrbis hujus & egregii publici adjumentum efflorescere velit labores, qvorum nunc ſeu præludium, ſeu primum potius protelum facimus. Is & mihi vires ſuppeditet oneri ſuſcepto pares, & animos veſtros laboribus meis ita propitios, ita faciles reddat, ut ardor meus, qvi audientium faſtidio atq; operâ ſegniore facilè elangveſceret, ſtudio veſtro magis inflammetur. Voto huic meo liceat mox omen, qvod ipſemet jam lætus mecum facio, adjungere. Ex hoc enim benigno oculorum veſtrorum in me conjectu, ex innubi iſtâ frontium explicatarum ſerenitate, ex compoſito deniq; ad audiendi patientiam habitu nihil præſagire, nihil promittere mihi aliud poſſum, qvàm fauſtum & orationis hujus, & cœterorum, qvos inpoſterum in hâc Vrbe ſuſcepimus, laborum eventum.

Opinor & argumentum, de quo dicere jam inſtitui, tale eſſe, ut & alacritati veſtræ ſtimulos majores, & noſtræ tenuitati copiam dicendi uberem ſubjicere poſſit. Hiſtoria eſt, qvam in theatrum hoc producere molior, res ſanè ut mihi indigno Sacræ Majeſtatis Hiſtorico perdecora, ita vobis, ita univerſo hoc auditorio haudqvaquam indigna. Neq; vereor, ne faſtidioſior aliquis aut vetus illud mihi,

cui non dictus Hylas? objiciat, aut id qvod Herculem laudaturo Rhetori oggestum est, occlamet, quis rem, quam laudare paras, unquam vituperavit? Qvid enim? an ideò res laudabiles ad silentii carceres damnandæ erunt, quia sæpè antea dicturis argumentum præbuêre sermonis? An DEI laudes, an virtutum encomia ideo jam reticenda sunt, qvia toties ante in auribus hominum sonuêre? Sint imò verò crebræ nobis in ore, crebræ in stylo, crebræ in mente res, qvæ nunqvam satis dici vel disci possunt. Neq; terreat adeò nos tædii metus, qvod ex argumenti ejusdem occursu qvidam præcipiunt magis inani opinione, qvàm reipsâ sæpè percipiunt. Sunt enim res illæ eximiæ, de quabus loquimur, tam fertiles, tam copiosæ, tanta in se habent materiarum latifundia, ut nullâ unquam Oratione ea ita exhaurire possis, qvin subinde adhuc aliquid novum in se habeant indictumq;. Ea porrò & ingeniorum & verborum varietas est, ut quemadmodum in tam immensâ hominum ex eodem mortalitatis seminio & eodem modo nascentium multitudine, sua cuiq; & plerumq; ab aliis diversa facies est: ita de re eâdem alius aliter & meditari & disserere queat; si modo ingenii habet aliquid, & id qvod habet acuat stimuletq;, nec â dicendi facultate planè deseratur. Mihi de historiæ digni-

 tate,

tate, deq; causis, ob qvas ea magni facienda sit, nunc dicturo haud vacavit curiosè dicta ab aliis de hoc argumento, â non dictis secernere. Si gratiam novitatis aliqvomodo inibo; spei equidem meę, minimè verò voti apicem excessero: sin minus, officii saltem ratione excusabitur historici de historiâ, suo qualicunq; modo, pro virium scilicet mensurâ, dicentis oratio.

Atq; ut ab ovo rem ordiamur, accedamus primùm ad ipsa historiæ incunabula, & natales ejus lustremus, visuri, num quid habeant splendoris aut dignitatis. Novimus â nobilitate prosapiæ multum pretii rebus accedere: & venerationem nonnulla assequi ab ipsâ & solâ antiquitatis canitie. Ac profectò si qvid incorruptis laudatæ vetustatis seculis extitit, jamq; tum sapientū inprimis consensu pro bono & præclaro habitum est, eamq; laudem postea per tot judiciorum casuumq; adversa, per temporis ipsius tacitos quidem sed malignos & letiferos admorsus tueri potuit; id honorem, id cultum, admirationemq; meretur: majorem certè, qvàm alia, qvæ hodie aut heri nata, novâ luce, sed minus adhuc exploratâ, forte & non duraturâ enituêre. Venerabilior fons est, qvi per exesam vetustate rupem continuo plurium seculorum tractu, aqvam & copiosam & salubrem effudit; qvàm

alius recens & minus compertæ ſalubritatis. Pretioſior auri ſcatebra eſt, qvæ per multas ætates inexhauſto optimi metalli proventu herum ſuum continuò beat; qvàm qvæ noviter exorta minus certâ adhuc aut ubertate aut præſtantiâ oculos animosq; hominum in ſe arrexit. *Jam* ſi quid usquam rerum à natalium vetuſtate venerationem meretur, meretur ſanè hiſtoria. Ipſi ſanè rerum naturæ propè æqvæva eſt; & ibi ejus incunabula qværenda nobis ſunt, ubi ipſa mundi primordia. Simulatq; enim aliqua in orbe condito exſtitit mens creatas res contemplari idonea; illicò qvoq; hiſtoria emicuit. Illa qvippe rerum ſingularum, & qvi iis acciderent, eventuum contemplatio noticiam id eſt hiſtoriam in mente conſiderantis peperit: unde & hiſtoria ab ἵςωρ, ἵςωρ autem ab ἰσαῶαι id eſt â cognitione nomen habere rectè creditur: qvanqvam ſcio aliter alios de vocis hujus origine ludere veriùs qvàm judicare. Cæterùm cum eædem res ſingulares, actiones eædem, iidem eventus ſenſu contemplantis primùm percepti, deinde & memoriâ comprehenſi, alii ab eodem aut narrarentur, aut ſcripto etiam, ubi literarum uſus acceſſit, ad plures propagarentur, illo partu ex mentis interiore receſſu in lucem excludebatur traditio, excludebatur hiſtoria. Ferè enim

hæc

hæc non differunt inter ſe; niſi qvod uſus hodie apud nonnullos obtinuit, ut traditionem vocent id, qvod gens aliqua vel ipſum genus humanum per manus qvaſi ſibi tradidit; hiſtoriæ contra nomine, literis proditam de re qvacunq; narrationem ſignificent. Qvicqvid ſit, ſimulatq; homines eſſe, & ſe resq; alias noſſe cœperunt, cœpit eſſe hiſtoria. Et absq; hâc foret, mundum hunc & hominem ipſum conditum unqvam eſſe, homines propè omnes ignoraſſemus. Tradidit hoc, qvi primus eſſe in mundo cœpit, poſteris ſuis; hi viciſſim DEO jubente, aliis, donec ad Moſen devoluta relatio fidiore memoriæ cuſtode libro, auſpice divino ſpiritu, comprehenſa eſt.

Id cum factum ſit, mille qvingentis plus minus annis ante natum mundi Servatorem: adeòq; is liber omnes alios, qvocunq; etiam colore ſuperbientes, longiſſimo temporis intervallo antecedat; non inde tamen natales hiſtoriæ arceſſendos eſſe ſatis perſpicit, qvi illam unà cum mundo naſcente, cum hominum certè memoriâ natam eſſe jam intellexit. Jactat antiqvitatem ſuam Philoſophia: & ſi primam mineram, ſi matricem ejus ſpectes, Rationem ſeu intellectum, diſſimulari eqvidem non poteſt, rectè illam eâdem cum intellectu ærâ genus ſuum computare, & eundem originis ſuæ autorem habere, Deum. Nolim etiam contendere cum

illis, qvi eam â primis & â DEO adhuc quaſi recentibus humani generis propagatoribus excultam, atq; artium inſuper omnium compendia columnæ ſaxeæ inſculpta perhibent. Certè de artibus nonnullis, præſertim non ſpinoſis illis, non altum nimis ſapientibus, non illam recente damno tum cognitam ſcientiæ boni & mali arborem redolentibus, ſed humanitati & vitæ agundæ neceſſariis minimè id abſimile videtur vero. Interim qvicqvid ſit, hiſtoriam vetuſtate non æqvat Philoſophia: qvippe qvæ hiſtoriæ ſe totam debet & ex hiſtoriâ nata eſt. Nihil eſt in intellectu, niſi qvod fuerit in ſenſu, ajunt ipſimet Philoſophi: ergò nihil habet Philoſophia, niſi qvod ab hiſtoriâ didicerit. Hiſtoria enim â ſenſu, Philoſophia ab intellectu dependet. Negari non poteſt, tria eſſe in homine organa interiora, qvibus rerum noticia percipiatur, memoriam, phantaſiam, intellectum. Prima omnium memoria, ut rectè meo judicio ſapientiæ conſulti hodie philoſophantur, ſuſcipit â ſenſu, qvicqvid cogitatione ſcientiâve dignum offertur: ſuſcipit deinde iterum â phantaſiâ & intellectu, qvicqvid hic definierit judicando; illa diſcurrendo imitandove effinxerit. Ita videtis & primum & poſtremum in cognitione rerum eſſe memoriam. Memoriæ verò filia & organum eſt Hiſtoria; uti phan-

Poëtica, Philoſophia rationis. Cum homo res prout ſunt, & prout eas vel vidit, vel audivit, vel palpavit, ſuſcipit, ſervat, refert, hiſtoricum agit: cum res easdem ſvavi qvâdam ludentis phantaſiæ imitatione repræſentat, ita tamen, ut de ſuo aliquid affingat, & terræ cœlum, homini Deos miſceat, tum Poëtam ſe exhibet. Cum easdem deniq; res colligit confertq; intra animum; cum ex multis ſingularibus genus conficit; cum qvicquid de toto illo genere concipi poteſt, concipit ingenioſè, digerit concinnè, connectit aptè, tum philoſophi officium præſtat. ſed ut vidimus, primò omnium hiſtoricum agit: Philoſophum tum demum, cum rectè egit hiſtoricum. Cum enim philoſophiæ omnis ratio in eo potiſſimùm, ut indicavimus, conſiſtat, qvòd certas easq;, qvam poteſt, latiſſimè patentes ſcientiæ ſapientiæq; regulas, & definitiones diviſionesq; rerum ex obſervatione ſingularium, & ut vocant, individuorum ſtruit; patet ſanè, obſervationem rerum ſingularium ſeu individuarum, hoc eſt, hiſtoriam, ordine præcedere, & eſſe qvaſi parentem ſcientiæ. Eſt inter ſcita philoſophiæ (ut de plurimis aliqua afferamus) omnia flumina in mare ſeu Oceanum redire. Id antequam affirmaretur, data diu obſervationi opera eſt, & ſcilicet inqviſitum, qvò Tigris, quò Euphrates, qvò Ganges, qvò Ti-

be-

beris, qvò Rhenus qvò Danubius & alia ejusmodi flumina deferrentur. Cum tandem ex observatione historia docuisset, omnia in mare, nullum aliò devolvi, natum inde hoc de fluviis axioma est. Sic Discordiâ res magnas dilabi, civilis sapientiæ pronunciatum est. At non ante receptum, aut pro certo habitum, qvàm multis ossibus ille discordiæ scopulus albescere cœpit, qvàm ad illum multæ domûs, urbes, Respubl*. regna, imperia fecêre naufragium.

Hinc autem porrò jam sponte suâ elucescit alterum decus historiæ, Amplitudo. Cum enim philosophia omnis ex historiâ, hoc est, rerum singularum observatione nata sit, sequitur nec arctioribus eam terminis cludi oportere, qvàm ipsam philosophiam. Scandit, ut videmus, philosophia cœlos, siderum positûs, motûs, effecta atq; in res terrenas influxus scire se arbitratur. Sed profecto qvicqvid id est, qvod istic scit, scit ex historicâ rerum lustratione & experientiâ. Hæc etenim, qvid hoc vel aliud sidus, hâc vel illâ cœli regione positum, huic vel illi sideri oppositum in terris operetur, qvando & qvare solis vel lunæ lampas subtrahatur oculis, multo annorum facto impendio docuit mortales. Disputat Philosophia de meteoris, de cometis, de ventis, pluviis, tempestatibus: at si qvid certi de tali-

bus habet, habet pariter ex historiâ: qvanquam dolendum est, eam historiæ partem non diligentius excultam hactenus: ne qveri haberet novus sapientiæ instaurator Verulamius, haud reperiri de istis historiam, qvæ alicujus sit pretii. Tradit Philosophia animalium naturas, ingenia plantarum, lapidum metallorumq; discrimina: at hæc omnia utiq; ab historiâ hausit: & huic magistræ si industria humana in istis plus operæ dedisset, nec observationibus antiqvorum, nondum colophonem suum habentibus, ita securè indormiisset, longè meliùs cum hâc qvoq; parte philosophiæ ageretur. Docet multa de actionibus humanis philosophia, metiri altitudines, ponere calculos, magna pondera librare, molibus aërem & maria occupare, regere domum, gubernare urbem, provinciam, Regnum, Orbem deniq; docet. Monstrat decus virtutis, rectè factorum præmia, secus factorum noxas, bonæ conscientiæ solatia, malæ tormenta facesq; furiales ostendit. Rudimenta civitatum Imperiorumq;, eorundem incrementa, fata, periodos explicat, vulgi, principum ingenia enarrat, arcanas consiliorum scatebras, & potentes artium politicarum, qvibus mundi cardines circumaguntur, fabricas promit, belli fas nefasq; docet, victoriæ & obtinendæ & utendæ modum exseqvitur. At hæc omnia

unde didicit nisi ab Experientiâ? unde hausit primitùs, unde postea absolvit firmavitve, nisi ex historiâ? Videtis ergò, Nobil Audit. latissima Historiæ pomæria, ut qvibus philosophia, qvaquà regnat, suas debeat opes. Sed & extra hanc Historiæ vis porrigitur. Et est, ubi philosophia modicum aut nihil potest, at potest plurimùm historia. Theologiæ salutiferam disciplinam mihi videte. Ea, uti ex historiâ revelationum divinarum, prævio & dirigente spiritu cœlesti, nata est; ita alitur pariter & sustentatur. Non ibi traduntur abstrusæ speculationes ingeniorum, non archipodialitatum inventa, non subtiles fumi abstractionum, qvibus curiosi & male feriati qvidam in nubes & inania feruntur, & qvod pessimum, sagarum instar, in orbe nostro tempestates excitant Sed nempe enarrantur magnifica DEI opera, ejusdemq; ad homines per internuncios prophetas effata: exponitur, qvid unigena DEI filius, mundi servator, docuerit, promiserit, fecerit, obediẽtiâ suâ mortalitati meruerit; qvàm paucis, sed salutaribus dogmatibus Apostoli humanum genus imbuerint, qvâ vi deniq; abjecti, inopes, inermes, rebellem, luxuriantem & armatum orbem, Dei & Heri sui Christi magisterio subjecerint.

Enim verò nihil omninò historiæ vel anti-

qvitas vel latiſſimè per univerſum patens amplitudo afferret commendationis; niſi ſummæ ſimul & plurimæ utilitatis ferax eſſet. Rariſſimo cuiq; nec diu arida & ſterilis vetuſtas placet. At cum inexhauſto fœcunda vigore in qvàm lætiſſimos fructus exuberat, eximio honore digna habetur. Jam ſi qvicquam rerum omnium, qvas vel natura peperit, vel artis ingenium effinxit, utile eſt humano generi, eſt profectò hiſtoria. Solem propè alterum dicere poſſis vitæ mortalium. Solem, magnum univerſi hujus oculum, principem eſſe rerum humano generi utilium ſemper credidêre mortales: Unde & pro DEO â multis olim gentibus, qvanquam ſub diverſis figuris & nominibus habitus cultusq; eſt. Sed profectò haud plus corpori humano Sol, qvàm menti humanæ hiſtoria affert emolumenti. Lux mundi Sol eſt, lux veritatis hiſtoria. Temporum diribitor ſol eſt, temporum teſtis hiſtoria. Vitæ at brevis conſervator ſol, longiſſimæ & qvodammodo immortalis, hiſtoria. Veritate nihil pulchrius, nihil divinius. DEUS enim ipſe Veritas eſt. Et veritate proximè ad DEum accedit mortalitas, ut jam olim Pythagoras judicabat. Eam qværimus, veſtigamus, eruimus, ſcrutamur, venamur omni animorum indagine: magnâ pleriq; otii impenſâ, multi & cum pacis diſpendi-

et[illegible]

etiam circa ſcorias ejus occupantur, dixeram ferè, & forſan non temerè, digladiantur. Scilicet enim non in ſummâ humo exſtare aurum iſtud Deus voluit: ut qvi etiam illud, præfulgidum qvidem & pulcherrimi nitoris, ſed non æqvè omne neceſſarium vitæ humanæ eſſe voluit. Plurimum ejus altè & in profundo demerſum eſt puteo: unde non ſine virgulâ divinâ, non ſine improbo labore, addo & diſcrimine multo, nec niſi per partes, & diverſis ſeculis extrahitur. Qvicquid tamen ejus neceſſarium aut inſigniter utile eſt, id in aperto Divina clementia poſuit; aut ſi alicubi tenebræ reſtant, dedit Ariadnen, extruxit Pharon, qvæ educat. Pharos hæc, Ariadne illa hiſtoria eſt. Eſt enim lux veritatis, ut verè judicavit magnus Cicero. Ab illâ habemus mortales, qvicqvid habemus certi de rebus humanis. Qvippe qvam non ludibundæ imaginationis fœcunditas, non curioſa per meras abſtractiones vagandi libertas peperit, ſed Experientia, minus equidem ſubtilis, ut creditur, ſed eò fidior certiorq; veri magiſtra. Qvodnam enimverò in rebus humanis incorruptius atq; indubitatius fidei autoramentum habemus, qvàm ubi qvid oculis, auribus, manibus vel noſtris, vel ſaltem aliorum fidem merentium uſurpatum intelligimus?

Certè

Certè qvi propriis ſenſibus ſuis non credat, vix puto qvenqvam reperiri; ubi inprimis ſatis habuit temporis, virium, voluntatis, ad expedienda, excitanda, & rebus ritè applicanda ſenſuum organa. Thomas eqvidē, ille lentæ fidei diſcipulus, poſtqvam ungves ſuos lateri Domini impreſſerat, Deo dante, deſiit eſſe incredulus. Et Joannes, delicium illud Servatoris, non invalida fidei munimenta ſibi præſtruxiſſe videtur; cum Epiſtolam ſuam ita orditur: qvod vidimus oculis noſtris, qvod luſtravimus, qvod manibus noſtris contrectavimus, annunciamus vobis. Sed ſibi quidem facilè homines habent fidem & haberi etiam ab aliis volunt: verùm aliorum fidem, inqviunt, unde conſtat eſſe ita integram, ut in eâ ſecurè acqvieſcere poſſimus? Toties nobis imponitur, toties glavcoma offunditur. Toties malè certa pro veriſſimis, incomperta pro exploratiſſimis afferuntur. Sæpiſſimè aucupio gratiæ, vel metu offenſæ â veri tramite abducuntur ſcriptores. Fateor ita eſſe. Nimium enim nota eſt iſta ſcabies, qvam nitidiſſimo hiſtoriæ vultui impura ingenía affricant. Sed non de eo nunc agitur, qvid nonnunqvam fiat, ſed qvid & debeat & poſſit fieri, fiat deniq; utplurimum. Qvid enim? an opis humanæ non eſt ab iſtis tineis integram ſervare hiſtoriam. Nonne reperiuntur & ſubinde reperta

ſu-

